

V - Koski 2033
DISPUTATIO ETHICA⁶
FOR TITUDINE
ET
TEMPERANTIA.

Quæ
DEO DUCE AC AUSPICE
In Règiâ CHRISTINéâ Univer-
sitate Ex consensu Venerandæ Fa-
cult: Philos: Eruditorum Exa-
mini submittitur

P RÆSIDE
M. AXELIO KEMPE
Reg. Acad. Biblioth.
RESPONDENTE
JOHANNE HENRICI LILIO
Finlando.

In audit. Majori ad Diem Julij
horis solitis,

A B O Æ, 1655.

Excusa Typis Acad. apud Viduum Petri Gallo/

*Nobilissimo, Consultissimis, Reverendo
& Prudentissimis V I R I S.*

Dn. E R I C O P. *Pistol Hielm*/de
Hawdois & Zalffwila &c. Copiæ Equestris
in Savalar Majori perstrenuo, Meccena-
ti & benefactori admodum colendo.

Dn. O L A O S. Regii Parla: Asses-
sori gravissimo. Fautori suo honorado.

Dn. M A R T I N O Schilling/Regij
Parla: ibidem Assessori æquissimo, E-
vergetæ suspiciendo.

Dn. A N D R E Æ J O H: Keckonio, Scho-
læ Arctopolitanæ Rectori solerti ssimo
ut antehac præceptorí fidelissime, ita nunc promotori
indubitatisse.

Dn. A N D R E Æ M. Packalenio, Su-
perioris Satakundiæ judici territoriali
Circumspecto, benefactori & populari
desideratissimo.

Dn. BERNHARDO R. Regij hujus
Parl: Logistæ expeditissimo, benefacto-
ri & amico amando.

*Hanc Disputationem Philosoph. in sui fa-
vorem & recordationem litat Reve-
renter & officiose*

Johannes H. Lilius.

SECTIO PRIMA
De
FORTITUDINE.

P R A E C R P T A.

I.

Fortitudo est Probitas, quā adversa quæque & ardua magno animo aggredimur & decenter sustinemus.

2. Estque Togata vel Bellica.
3. Togata est fortitudo, quæ in adversis extra belli aleam animum invictum præstat & immotum.
4. Bellica, quā pericula in bello & mortem ipsam honestè aggredimur.
5. Opposita fortitudinis sunt: Omnis metus vacuitas seu audacia, qui temerè omnia adeuntur pericula;

nulli habitâ honestatis ratione;
Et metus seu timiditas, vitium
quo nihil arduum neque pati ne-
que aggredi sustinemus.

EXPLICATIONES.

Ad Præcepta in Genere

Magna & eximia virtus fortitudine est, sublimia etiam quærit receptacula, excelsos fovens spiritus; hinc rutilat maximè in folio Regali, heroumq; ingens existit decus. Viribus nixa suis, non nisi ardua & præclara semper meditatur, hostibus se obijcit, quos ferit, fugat, prosternit, nec mortem terribilissimum omnium pace vel bello formidat. Unde summo in pretio semper fuit fortitudo, virtutis nomine sola nonnunquam æstimata. Magnus ille *Alexander* hac nisi stipatus fuisset, tantillo vix tempore victor orbem peragrasset. *Hannibalem* sane multis in *Hispania*, *Africa*, *Italia*,
Victo.

Victorijs & trophæis evexit ad sum-
mum. Cæsar is invictum animi robur,
res gestæ testantur abundè. Non at-
tinet memorare *Camillos*, *Fabrioios*,
Marcellos, & similia hominum dœmo-
nia, qui rem Romanam ad id fastigium
perduxerunt, ut Romana magnitudo
tantum hostium vinceret, quantum vel
ipsa vellet, vel rerum natura permitte-
ret ut habet *Vegetius*. Nostra etiam
patria dulcissima, Regnum Sveo Go-
thicum, quot & quantos emiserit He-
roas hac virtute præstantes, loquuntur
omnium temporum annales, decan-
tant patriotæ, admirantur exteri & ob-
stupescunt; Quos hic sacro silentij hor-
rere potius honorandos censemus,
quam laudes & gloriam illorum culpâ
deterere ingenij. Virtutem solum-
modo ipsam, prout ratio instituti re-
quirit, nostris subiectiamus oculis, ut si
quid ex pulcherrima ejus facie liceat
haurire voluptatis, id omne in lucro
erit depùstandum.

Ad 1. Præceptum.

Definitum à ferendo dictum (peri-
cula sc. & labores) non quamvis
notat *constantiam*, commune alijs re-
quisitum in genere; nec naturale *robur*,
quale & in brutis, & alijs bonis animi
destitutis: Sed *virtutem moralem*, quæ
in periculis & adversis caput exerit.
Cujus hinc observanda 1. *Obiectum* da-
plex ut in qualibet virtute, *internum* &
externum. Illud, (ut in alijs) affectus,
metus & confidentia: hoc, res arduæ
& periculi plenæ, quæ affectus hos cie-
re possunt: Alijs terribilia, mala & ad-
versa, quæ tamen in duplii sunt diffe-
rentia, alia enim sunt *ī περὶ ἀντρωπον*
supra conditionem humanam, ut *com-*
minationes divine, fulmina, terræ motus,
exundationes &c. Quæ qui non metuit
insanum esse oportet; alia *παρὰ ἀν-*
τρωπον secundum hominem, quo-
rum quædam semper metuenda viro
bono & fugienda, ut: scelera omnis
generis, eorumque poenæ; quædam
indif-

indifferentē se habent, formidandæ quidem si nostra culpa eveniant; Sin minus & præter meritum, forti animo & excelsō ferenda & spernenda, qualia mala sunt: *paupertas, exilium, captivitas, infamia, vulnera, contemptus, injuria, morbi* & denique *mors ipsa*, quæ spes ciale hujus virtutis *objectum* vocari sivevit, sicut *Generale* censetur esse vel *prismarium* vel *secundarium*, illud τα, φόβοις γε constituunt; hoc ταρρωλέαι fiducialia, quibus fiducia in periculis animo ingeneratur, qualia: *divitiae, munitio-nes, arces, arma* &c.

2. *Actus* (in quo & officium viri fortis in genere consistit) qui duplex cum primis: *sustinere pericula*, quo patientia spectat, & *aggreedi* seu *propulsare*, quem nonnulli magnanimitatem appellant. Præstantius vero Aristoteli ardua ferre, quam aggredi, Objectum enim quod terrible, semper aliquid confert ad audaciam cohibendam, timorem verò auget, cui non succumbere difficilius videtur.

3. *Finis*; ut in omnibus virtutibus
ita & hic *honestas*, unde & *publica utilitas*.
Inordinati igitur finis circumstantia
peccant, qui ad scopum alium colli-
mant, quales qui lucri causa spe hono-
ris & prædæ duriuscula non detre-
stant.

Ad II.

Missæ divisione fortitudinis in ve-
ram & apparentem, quæ non tam divi-
sio, quam distinctio est ambigui; veræ
fortitudinis solum ratio expendenda
venit, quæ ritè & rectè secatur in *Toga*,
tam & *sagata* I. Ex ratione objecti: quippe
in utraque conspicua fortia facta, nec
minus in toga animi desideratur ma-
gnitudo, quam fago & bellona fervente
Exilia non raro hic, proscriptiones, re-
legationes, opprobria, afflictiones aliæ,
vulnera, captivitates, morbi, imò ipsa
mors graflatur, quæ intrepidè subeūda,
animusque obfirmandus, ne adversis
frangatur, nec efferatur & insoleat
adeo secundis, ex mente Horatij,

Rebus

*Rebus angustis animosus, atque
Fortis appare, sapienter idem
Contrahes vento, nimium secundo
Turgida vela.*

2. *Intuitu subjecti*, s^æpè enim fortitudine bellica excellunt, qui Togatâ nequaquam, & vice versa, fortis *Alexander*, fortis *Socrates*, sed diversa fortitudinis specie; fortis item *Cicero*, *Demostenes*, sed in foro, in curia, bello non item.

3. *Contemplatione causarum efficien-
tium*: Bellica artibus bellicis paratur,
Togata sine iisdem haberri potest.

Ad III.

Hæc animum firmat constantiâ, roburque colligit, quo adversus omnem fortunæ flatum tutus consistit fortis, in Choro, in foro, in toro sua ritè expedit munia. Contemptum, injurias, persecutio[n]es, calumnias, mala plerumque clericorum, contemnit, repellit, vindicat. In curia causas agit, disceptat, judicat, consilia sugge-

rit, libertatem afferit, non sine præsentissimo nonnunquam mortis periculo. Pro domo cujusque & ædibus excubias agit, commoda accersens, propellens nocitura & adversa domestica quoad fieri fas est, ut hic præterea Philosophicam illam affectuum moderationem, in *Socrate*, *Diogene*, alijsque eminentem.

Ad IV.

Hanc extollunt plerique, omnium in se ora hæc convertit, nec nisi eximiis præmiis coronatur, cum maxime occupetur circa præsens mortis discriumen, quæ pulcherrima censetur propter decorum, difficilima ob certamen, celeberrima propter famam, honestissima propter causam, scilicet defensionem patriæ, libertatis, religionis, parentum, liberorum &c. Hac plurimi fortitudine excelluere, non secus ac Togatā. In sacris laudantur, *David*, *Iosaphat*, *Debora*, *Judith* &c. Ex prophanicum Græcis tum Latinis quam plurimi,

mi Alexander, Cæsar, Hannibal, Themistocles, Miltiades, Amazones &c.

Ad. V.

Sunt & huic virtuti sui hostes, sunt extrema, hinc scopuli utrinque habendi: *Audacia* in excessu; *Timiditas* & ignavia in defectu. Ad istam deflexit Alexander non raro, servatus tamen, non tam virtute sua, quam aequitate fortunæ. Insani potius quam audaces Celte qui prælium injerunt cum fluctibus marinis, prius aquis obruti quam versi infugam. Et *Psylli* contra Austrum armata manu profecti sunt. Et Xerxes mare virgis cædi imperans & catenis studens vincire. Timidi omnes autoneipes, timidus Pisander, qui ne umbrâ suam mortuus videret metuit. Ignavus Antemon, qui caput scuto, quod servi duo semper portarunt, texit, ne lapsu alicujus laceretur. Plura exempla tum virtutis, tum vitiorum suppeditant omnium temporum historiae & annales, præter quotidianam experien-

perientiam, quæ speculum est vitæ & societatis humanæ.

QVÆSTIONES.

I. Estne fortitudo justitia præstantior? Neg:

Utraqne sublimis est virtus & necessaria, si tamen comparentur, potiorem locum justitiæ, ipsa non negabit fortitudo. Justitia quippe sublata, quid principatus & regna nisi magna latrocinia? Ubi licentia pudoris & verecundiæ calles supergressa impunè dominatur & furit. Hinc non inscitè Agesilaus: *Si omnes justi essent, ne opus quidem fortitudine esset.* Et Antisthenes, omnia inquit hominibus optanda præter fortitudinem; quod omnia fortis occupaturi sint, passidentes vero, si timidiores, perdituri.

II. Qui sit quod vera fortitudo
rara sit avis in terris?

Resp.

Resp. *Difficilia quæ pulchra, vetus verbum est.* Difficultati succenturiantur virtutis hujus *objecta, causæ efficientes & subjecta.* Mortem omnium terribilium terribilissimum, natura ipsa conservationis studiosa abhorret: actus circa pericula tanta & discrimina occupantur, ut plerique tergiversari malint, quam aggredi: denique nec omnes ad hanc sunt virtutem nati & educati, pauci, quos æquus amavit Iupiter. &c.

III. An mors omnium terribilium terribilissimum?

Resp. De morte æterna, nullus, modo Christianus, dubitat terribilissimam esse, interim & *mors temperalis* satis est terribilis homini, non ut *Christiano & fideli*, quomodo mors non mors, sed somnus, sed quies, sed suorum &c. verum ut *corpori animato*, conservacionem sui maximè expetenti, & ab interioru modis omnibus se vindicanti,

IV. An fuga viro fortis eligenda?

Resp. Pro ratiōne *commodorum* & *incommodorum*, vel amplectenda est vel non. Si ex fuga tua salus pullulet, non tua solum, sed & *Reipub: Religioni* insuper consulitur, *libertati* & *honestati*, capessenda sanè. Sic enim qui fugit ad pugnas ille redire potest. Si vero fugam ignominia sequatur, *Religionis*, *libertatis*, *Patriæ* interitus, mori præstabit & fortiter occumbere, quam cum tantarum rerum ruina, salutem & utilitatem labefactare publicam.

V. An hostem fallere fortis conveniat?

Resp. Fallitur hostis vel *violatione fidei* vel *strategematis* & *insidiis* illæsa fide. Istud in *honestum* est, fidem enim datam servare & divina & humana jura exigunt: hoc licitum & concessum exemplis sanctorum in scriptura laudas.

laudatis , & aliorum heroum ab omni
antiquitate commendatis. Victoria in-
super hujusmodi compendiosa est,
parcitur sanguini , sumptibus, tempore.

VI. An fortis sensu doloris afficia-
tur , eumque confiteri hone-
stè possit ? Aff:

Nec enim fortitudo naturam exuit
humanam , nec prohibet confiteri
quod humanum est : imo gloria est
magis fortis viro confessio passionum ,
quas invicto animo superat , testimoni-
o fortitudinis luculentè stipatus.

VII. An qui artibus Diabolicis
stuporem inducunt corpori-
bus , fortes dicendi?

Resp. Minime gentium. Nulla vir-
tuosa actio Diabolum agnoscit autho-
rem , sicut nec diabolica operatio vir-
tus est.

QVÆ:

VIII. Estne fortior qui prævisa
pericula præmeditatus aggre-
ditur, quam qui in repentinis
se fortiter gerit?

Resp. Hic potius fortitudinis glo-
riam meretur, magis enim ex habitu
præsumitur agere, at radicior habi-
tus intensiorem virtutem ostendit.
Hinc in arenâ sumendum sæpè consi-
lium, in bello præcipue, ubi bis pecca-
re non licet, ubi quanto minor præ-
paratio, tanto major animi magni-
tudo.

IX. An *avroxeigia* licita sit?

Neg:

Peccant in Deum *avroxesipes* in
Remp: & seipso, DEI decreta impu-
gnant: *non occides*. Rempub: mem-
bro & cive spoliant. Vitam optimum
bonum sibi eripiunt sibi ipsis carni-
fices. Pulchrè Seneca: *Si certa mors*
instabit & *destinatum sibi supplicium sciet*,

non,

*non commodabit sapiens pœna sua manum,
stultitia est timore mortis mori. Veniet
qui occidat, expecta, quid occupas alienum
negotium?*

**X. At sancti DEI Martyres
suntne hac laurea & fortitu-
dinis gloria decorandi?**

*Resp. Imo heroica ipsis inerat for-
titudo & longè sublimior omni alia.
Exquisitissimis quippe doloribus ex-
positi & subiecti tormentis, non mo-
do non tolerarunt ea magno animo;
sed & exultarunt dignos se esse, qui
pro nomine & confessione Jesu in-
digna hujusmodi perferrent & pate-
rentur.*

**XI. An per fortitudinem duello
congredi liceat?**

*Neg: Monomachia duplex est *Lau-
dabilis* & *illaudabilis*. Illa, quæ ab ani-
mo gloriæ Dei illustrandæ & publi-
ci boni promovendi cupido profici-
scitur, probanda, si authoritate impri-
mis publica fulciatur, Exemplo Davi-*

dis, & fratribus apud Romanos tergeminorum. *Hæc, quæ ex privatæ vindictæ cupiditate fluit, damnanda prorsus & abolenda.* *Nec rectam rationem sequuntur ducem audaculi illi & temerarij, nec leges observant, nec Magistratum, quem exponunt ludibrio.* *Pericula aggrediuntur non necessaria, & suæ salutis & aliorum prodigi sunt, nulla habita honestatis ratione.*

XII. Quid censes de bellis, suntne licita?

Resp. Negat furor Anabaptisticus: affirmat scriptura canonica. Deus in V. T. Injunxit bella, leges bellicas populo suo præscripsit: Nec ullibi in N. T. prohibuit, quin potius milites approbavit Christus, dum sacro Baptismatis lavacro permisit initiari, addita adhortatione per Baptistam, non ut desererent stationem, sed decenter se gererent, nemini incommodarent &c. Vim præterea vi repellendā omnes leges omniaq; jura permittunt.

XIII.

XII I. Utra fortitudo præstans tior Togata vel Bellica?

Resp. A *Togatæ* partibus stat Eloquens
tiæ parens *Cicero*, dum ait:
Cedant arma Togæ, concedat laurea lingvæ.

Affentitur *Clarissi*: *Vendelinus*
hisce rationibus: Est quippe inno-
centior & sedatior progratiōr i. Chro:
28.v.3. 6. Prudenti itidem *consilio*, *ling-
væ* & *calamo* maxima facilius expedi-
untur quam armis, quæ remedia sunt
ipsis morbis periculosiora & damno-
siora; parumque habent virium, si de-
stituantur consilio. Bene *Tacitus*:
plura in summa fortuna auspiciis & consiliis,
quam telis & manibus geri.

XIV. Audaciæne contermina magis fortitudo quam timidi- tati?

Aff: Hinc audacem fortem vulgus
semper putat. Commune est & for-
ti & audaci aggredi pericula, licet ille
honestè & non quævis: hic omnia &
levia & inhonesta. Timidus vero nullis

planè se obijcit, sed martem in fuga.
cibus portat pedibus. Unde & is ma-
gis obesse Reip. creditur, cui audax
suâ animositate interdum prodest, se-
cundum illud:

Audentes fortuna juvat, timidosq; repellit.

SECTIO SECUNDA

De

T E M P E R A N T I A

P R A E C E P T A.

2.

TEmperantia est probitas, in vo-
luptatibus corporis ex gustu &
tactu modum tenens à rectâ ra-
tione præscriptum.

2. Estq; duplex: Frugalitas & Ca-
stitas.
3. Frugalitas est temperantia in cibo
(Abstinencia alias dicitur)
& potu (quæ sobrietas pro-
priè)

priè) naturæ & honestati congruenter vivens.

4. *Castitas est temperantia in moderanda venere.*
5. *Extrema temperantiae & specierum, in explicatione commorabuntur.*

EXPLICATIONES.

Ad præcepta in Genere.

A Corporis periculis, quibus fortitudo imperat, ad voluptates ejusdem quas temperantia coercent non immerito delabimur. Parum quippè est hostem propellere externum, nisi & proditores intra mœnia delitescentes exigantur. Pulchrè Seneca: *Magnum imperium regit, qui sibi ipsi dominatur;* & fortior est qui cupiditatem vincit, quam qui hostem superat. Hinc memorabile effatum Valentiniani Imperatoris: *Una se tantum Victoria gloria-*

ri, quod vicisset carnem. Quid enim
jucundius quam scipsum vincere? lis-
bidini leges præscribere? atque sic
nomen & prærogativam hominis in-
signiter tueri. Anima sicca, anima
sapiens; Imò prudens & reliquarum
virtutum quasi penu. Ex adverso de-
licijs immersa stulta & insipiens; ex
homine belluam efficiens. Vetustas
curvas quasdam animas tradidit, quæ
cœlum nunquam tuerentur sed in terra
cogitatione residerent. Intemperantes
curvæ illæ animæ sunt, quæ in corporis
voluptates demersæ, nec solem un-
quam vident nec lunam. Et dum
potiorem cuticulæ quam animæ cu-
ram gerunt, hanc tantum pro sale,
quod *Varro* ait, habere videntur. Nos
vitii hujus turpitudine, & detimento,
tum, quæ in genus humanum impor-
tat, multitudine territi; ipsius virtutis
decus venabimur & mirabimur, nec
alio fine, quam ut eam ipso facto, Vir-
tus quippè in actione consistit, ritè ex-
primere valeamus.

Ad I.

Temperantia hic non quamvis designat virtutem, prout affectus & perturbationes temperat & moderatur; sed eam duntaxat quae in *voluptatibus corporis* arcendis vel perfruendis per se est occupata. Objectum ergo ejus sunt *voluptates* non *animi*, in quibus nullus datur vel excessus vel defectus; Sed *corporis*, quae nobis cum brutis communes sunt; nec tamen omnes omnium sensuum (quas enim auditu, aut visu aut olfactu percipimus temperantiam vel intemperantiam non inducunt nisi forte per accidens) sed ea in primis quae gustu & tactu sentiuntur, in quibus externè occupatur temperans, interne domans appetitum & cupidinem earundem. Habet ergo vir temperans rationem honestatis, in voluptatum fruitione, valetudinis, quantitatis, qualitatis, existimationis, loci, temporis, personarum, sumptuum, &c. Quo & fine & fructu temperantiæ potiri possit, qui eximius est in animo, vigor ingenii, judicij & memo-

riæ, quibus & oculus omnium virtus
tum prudeutia conservatur; in corpore,
sanitas & pulchritudo, omnia directa
ad utilitatem propriam, conservatio-
nem scilicet sui, & consequenter pu-
blicam, pro ut id virtutis genius re-
quirit.

Ad II. & III.

Uti *habitus* natū sunt secundum
objecta dividi, ita & ex *objecto* dupli-
temperantiæ, duæ hæ species resultant,
vel i. ex sensu *gustus* voluptas pullulat
in cibo & potu. Vel ex sensu *tactus*
in venere; istam *frugalitas* moderatur;
hanc *castitas*. *Frugalis* ergo est in cibo,
seu *abstinens*, qui tantâ cibi portione
vescitur, ut reficiantur vires, non op-
primantur habitâ ratione cujusque na-
turæ. Non eadem est omnibus cor-
poris constitutio, nec idem calor. Di-
versa item sunt vitæ genera, in quibus
alii aliis magis vacant exercitiis & cor-
poris motionibus. Unde varietas
maxima suboritur assumptionis ali-
mentos,

mentorum , alijs plus , alijs minus ve-
scentibus; illæsâ tamen frugalitate.
In potu frugalis , propriè *sobrius* dici-
tur, non quod nunquam bibat, vel
quod à certo potus genere per natu-
ram, coactionē &c. abstineat, qui poti-
us abstemius est, non sobrius ; sed quia
habitum inebriandi sive *ebriositatem*
summoperè vitet, nec nimium bibat,
nec suavitatem immodico etiam potu-
sestetur.

Ad IV.

Veneri frœnum iniicit castitas, quæ
& pudicitiam ambitu suo involvit, oc-
cupatam præcipue circa decorum *in-
gestibus, vultu, obtutu, incessu & similibus,*
quibus plerumque animi inconspicui
& latens indoles, ceu ex ungibus Leo,
clarè dignoscitur. Et ut sexui fæmi-
neo maximè necessaria est, & pro dote
pudicitia , *satis quippè dotata, si pudica &
virtuosa;* Ita singulos egregiè ornat
castitas , quæ in omnis status & ætatis
requiritur hominibus. Hinc dispe-

sci solet in *Virginalem*, *conjugalem*, &
vidualem, illa in *juvenibus*, *puellis* &
omnibus non nuptis, ista in *conjuga-*
tis & *matrimonio junctis*; *hæc vidua-*
rum est. Exempla castitatis, passim
occurrunt in sacris: *Iosephi, Rebeccae* &c.
Profanis; *Alexandri, M: Scipionis,*
Cyri & aliorum. Heroica plane fuit
adolescentis *Ægyptij Nicetæ castitas*,
cujus facit mentionem *Hieronymus* &
Iesuvita Drenelius qui & peculiarem
librum ita inscripsit.

Ad V.

Pro diversitate *specierum virtutis*
variant *vitia oposita*. Cui *virtus tem-*
perantia planè cognita, *vitium igno-*
rare nequit, *intemperantiam* sive *exco-*
læsiav in *excessu*, in *defectu avaresyn-*
tiav, omnes *spernens voluptates*,
quod ut *rarissimum* est *inventu*, ita il-
lad, proh dolor; *frequentissimum*.
Excessus frugalitatis sunt: *Voracitas,*
Ebrietas. vel uno verbo *Luxuria*; *ca-*
stitatis, libido. *Defectus in istâ: sordes*
& *nimiâ*

& nimia abstinentia à cibo & potu, vi-
res prosternens; in hac detestatio o-
mnis Veneris affectata. Exemplorum,
ut stultorum plena omnia; Luxuriæ
& Ebrietatis in *Alexandro Tiberio*, qui
postea *Biberius*, dictus. *Smindaride Si-
barita*, qui jactabat annis se 20. nec o-
rientem solem, nec occidentem vi-
disse. *Vesperi* enim per ebrietatem
scrò expergefactus fuit, manè vero in
multam diem stertebat: Libidinis in
Sodomitis, *Sardanapalo* &c. De quo ver-
ficus: Non homo sed porcus *Sardanapas-
lus* erat. Ex adverso *Diogenes* omnes
múieres suspensas voluit de arboribus,
Origines se castravit &c.

QVÆSTIONES.

1. An studio temperantiae vita ho-
minis prolongari possit? Aff.

Annos decurtare luxuriam & libi-
dinem constans est assertio & Medico-
rum & Philosophorum. Per luxuriam
quippè dum indiscretè varia cibi &
potus

potus genera in maximâ copiâ assu-
muntur , nullâ habitâ ratione *virium*,
valetudinis & qualitatis, plurima inde in-
commoda exoriri certum : extingvi-
tur calor naturalis nimio vini potu ac
suffocatur, non secus ac si exiguae flam-
mæ imbecillæque confertim multum
olei infundatur : in ventriculo gignun-
tur cruditates, quæ delatæ ad Epar bo-
nam ejus constitutionem non parum
lædunt, quippe *vitium primæ concoctio-*
nis non corrigitur in secundâ & tertîâ. Un-
de totius corporis debilitas & *xaera-*
xiæ, plurimi morbi & tandem mors
& viventis interitus. Per *lasciviam &*
enormem libidinem calidum & humi-
dum radicale , in quibus vita consistit,
& quod vinculum censetur animæ &
corporis, exhaustur, quo exhausto dis-
solutionem sequi necesse est. Unde
experientia quoque confirmat hellu-
ones & libidinosos vitæ esse brevioris.
ex adverso vero *frugales & casti* volup-
tatis moderatè fruentes , noxijs de-
pulsis vires & naturam in statu conser-
vant;

yant; nutantem verò abstinentia & medicamentis renovant, atque restaurant. *Hic vero ad ea respicimus quæ ex principiis naturalibus & causis colligi possunt: de termino vitæ à Deo præfixo & præstituto, discurrere aliis est loci & altioris indaginis, sic enim certum est fatalem esse istum ratione præscientiæ & cognitionis Dei, cuius oculi clariores sole, cui omnia futura sunt præsentia, omniumq. rerum & eveniūm infallibilem & certissimam possidet scientiam.*

II. An temperans sit qui bis de die commedit?

Resp. Negent licet *Plato* & *Thomas* & forte alii, qui statuunt veteres, semel tantum quolibet die commedisse, affirmativam tamen & experientia & ratio dictitat. Frugalis enim modum servat in potu & cibo, quem modum servare non potest non qui bis in die citra saturitatem edit, sicut is excedere mediocritatem qui semel tantum.

III. An eesus carnium antediluvianis concessus fuerit?

Resp.

Resp. Affirmativa suadetur ex vitâ pa-
storitiae, quam ante diluvium viguisse
constat inter alia, procul dubio, ob
hanc causam, ut hinc in esum animal-
cula pro placito arbitrio depromerent.
Deinde & pellibus vestiebantur primi
homines, carnes à pellibus detractis
tanquam inutiles abiectas fuisse, vero
simile non est, præterea sacrificabant
ex animalibus veteres, pars vero sa-
crificii cessit in alimentum, prout de-
inceps lege expressum est. Tantam de-
nique multitudinem gressilium, vola-
tilium & natatilium creatam esse in u-
sum & utilitatem hominum scriptura
asserit, eandem vero cibo subtrahere,
& in eo elucere qui non vult, durus ni-
mis videtur & pertinax.

IV. At vinum fuitne illud ante diluvium in usu?

Resp. Quanquam *Noe* post Cata-
clysmum universalem inebriatus fue-
rit, tanquam vinum planè antea non
gustaverit; tam liberaliter tamen ex
ignoran-

ignorantiā vini Armenici, quod præstantissimum & efficacissimum esse Strabo testatur, ad omnis vini & communis defectum sive carentiam concludi non potest. Quin potius ex verbis salvatoris Luc. 17, 26, contrarium colligi non ineptè judicatur, ubi securitatem & ebrietatem hominum incusat & propterea insequutum supplicium. Si ergo inebriati antediluviani aut aquâ aut *vino* id factum, non aquâ quod est contra experientiam, ergo *vino*.

V. An per sobrietatem convivialis interesse liceat?

Resp. Convivia alia *sybaritica* & *luxus*, riosa alia *honesta* & *licita*, quæ jucunditatis & honestæ recreationis causa instituuntur, illa ut fugere convenit; ita hæc accedere non est prohibitum. Imo cum homo sit animal, sociale, maximè conveniens est hominem homini adsidere, confabulari, lætari &c. Sancti Dei homines convivia celebrarunt, iisque interfuerunt in V. & N.T.

Ipse

Ipse salvator noster Jesus Christus, *cres-*
jus actio nostra est institutio, nuptiis non
interfuit solum, sed & contrahentibus
insigni munere adfuit. Nec obstat
ratio satis prægnans, quo minus id fies-
ri possit, modò *decorum* obseruetur &
civilitas, & *modus* in potu ciboque af-
sumendis, nec *methodo* progrediantur
Synthetica, à minoribus ad majora po-
cula evacuanda.

VI. Licetne illæsa sobrietate in memoriam alterius bibere?

Resp. Inveteratus mos est, præser-
tim apud Septentrionales bibere pro
salute *principis*, *amicorum*: imo & *Dei*
memoriae libarunt antiquitus & etiam-
num non nullibi, mortuorum etiam
meminerunt olim, quod *Sielebegare*
dicebatur. Morem hunc ex parte ser-
vant populi moderni, nec si moderas-
tio teneatur, vituperandus est. Quid
enim prohibet hoc velut externo sym-
bolo prospera proximo precari? mo-
do bono id fiat fine & animo hospitem
exhila-

exhilarandi, non inebriandi, ut pro alterius salute bibendo propriam deperdat. *nolo*, inquit Calistenes, *Alexandri poculum evacuando, Aesculapio indigere.*

VII. An ebrietas excuset delicta?

Resp. Ebrietatem faciunt duplēm, *actualem* vel *Habitualēm*, istam excusare si non à toto, tamen à tanto, præsterim inlevioribus afferunt Dd. hanc non item. Dupli potius pœna dignus ex *Pitaci* lege, qui infirmitatis suæ conscius & efficaciam potus non ignorans peccat. Interim pro ratione diminuti voluntarii, ipsum quoque peccatum diminui arbitratur *Thomas.*

VIII. Utrum deterius vitium Voracitas an Ebrietas?

Resp. Ebrietas, furibundos namque facit homines vel similes saltē eis, dum bonae mentis arce dejicit eosdem. Eximia præterea est medicorum nutrix, plurima accersens incommoda, infamiam, morbos &c. Et denique quam inepti & inhabiles

sint ad præclaras actiones Ebriosi res ipsa loquitur.

IX. Suntne choreæ & saltationes ferendæ?

Resp. Et multi & magni viri choreis infensi sunt; alij vicissim non inferioris subsellii non omnes promiscue damnant. Parata ergo est distinctio inter choreas honestas & licitas, quæ à personis honestis in honestorum præsencia, loco & tempore congruo decenier ad delectationem & jucunditatem exercentur: Et impudicas & inhonestas, quæ neglecta honestate, ratione inordinatis finis peccant, & aliarum circumstantiarum. Has ut sanus quisque detestatur; ita istas cordati admittunt. Nullibi enim in scriptura sunt prohibitæ, potius approbatæ, dum iis certum tempus assignatur, Ecel: 3. Dum exempla ex sacris laudata adferuntur. Nec negat sana ratio, cum in iis comitatis quidam splendor, ut Casus ait, appareat, honesta itidem recreatio liberalibus contingat

tingat ingenii, non decrepitis & mo-
ritis. Incommoda quæ magno nu-
mero dicuntur effundere, vitio potius
hominum eveniunt, quam Chorea-
rum. *Quid est tam eximium quo mala
& leva mens abuti non possit?*

X. At lupanaria suntne ista to- leranda in Rep. Christiana?

Neg. pugnant directè cum 6. præ-
cepto. Non *Mæchaberis*. Excecrabilis
proinde DEO est scortatio, ad quam
vitandam institutum est matrimonio-
um. Non sunt facienda mala, ut eveniant
bona. Imò nec bona inde resultare
possunt. Inficitur Christianismus fætore
lupanarium: Corruptitur Adolescentia &
enervatur ingenio: Porta omnis nequitie
patens panditur & amplissima &c. Lin-
quantur ergò Pontificiis lupanaria &
Romæ, quæ tota est facta lupanar; nos
bis DEUS, divina mandata & honestæ
rationes omni exceptione majora
sunto.

Et tantum de hac summè necessa-
ria.

ria Materia, Faxit Deus unus & trinus ita hic degamus, ut ad cælestia in patientia & temperantia semper adspiremus.

Coroll. Geograph:

1. *Geographia non modo oculus re-
Et censemur Historiæ; sed & re-
liquis facultatibus egregie inser-
vit.*
2. *Terram cum circumfluis aquis
globum constituere, etiam ex pe-
regrinationibus certum est.*
3. *Terra immobilis in centro uni-
versi, quiescit & ad cœlum collata
supremum est instar puncti.*
4. *Sicut cœlum orbibus non est rea-
libus concineratum; ita nec ter-
racirculos nisi ut ingeniosa men-
tis commenta, agnoscit.*
5. *Zonam Torridam ut & frigidas
esse*

*esse habitabiles navigationum ex-
perimenta dudum contra veteres
evicerunt.*

6. *Novum orbem sive Americam,
quæ a Columneo sive Columbus
circa An. Ch. 1492. primum
detecta fuit, prisca quoque seculis
notam fuisse verisimile est,*

Mantissa.

*Erudite nonnullibi acutiss. Zaba-
rella: Valde, inquit, præposte-
rum est, artes & scientias de-
finire per ordinem ad librum &
farraginem præceptorum in libro
contentorum.*



**Præstantissimo & Politissimo
Iuveni,**

DN. JOHANNI LILIO,
Musarum in hac Regia Universitate
cultori indefesso, amico & discipulo
suo perdilecto, de Fortitudine &
Temperantia pulchrè differenti.

L Illia fert tellus, nitidissima germina
campi:

Nec Liliis pulchris nostra vireta carent:
Quid Lilius præstet, virtutis flore venustus,
Discursus præsens comprobat eximius.
Macte igitur, similes depromas pectore
flores,

Virtutum patrii Magna Corona chori.
Auguror, & Lilius vivet post funera virtus:
Quod precor omnipotens faxit & ipse
DEUS.

Honoris & amoris ergo
apposuit

GEORGIVS ALANUS S. S.
Theol. P. P. & Ab. Pastor.

LAUDIBUS EST DIGNUS CELSIS, QNI VI-
(ribus orbem
Perdomuit validis undiq; Marte sibi.
Insignis laus est, hostes superare ne-
(fandos;

Sed *Semet* summæ *Vincere* laudis erit.
Quid juvat ut multas debelles viribus
arces?

Et varios tractus, subdere posse sibi.
Si fragiles nescit mentis compescere
motus

An juvat ei quicquam? vincere si qua
juvat
Dum tacitis animi tentatur motibus
Ehev!

Vincitur à proprio, pectorē *victor*
Ovans!

Sobrius est igitur, *Fortis*, dignusq; vocari
Qui *Semet* dextrâ *Vincere* mente
potest.

Ergò mi *Iannes*, dum tractas talia docte
Sobrius & Fortis, nomine req; manes.

L. Mqz. adjecit

ANDREAS PETRÆUS,

Ἐκεῖνῳ

Λίλιος, Σοφῶν, ἐταῖρος
Σπεθασιούς; καθέδραν
Βαῖνει καλῷ προσώπῳ.

Λόγον πέρ ἡς Αὐδρείας
Ποιεῖ τε Εὐκρατείας.

Πάντες Φραδῶς κελεύει

Ἐχειν μέσον, μεταξύ
Τόλμης κακῆς φόβου, μὴ
Δοκεῖσθαι ἐπιν, αλλὰ

Οἰκεία. Καὶ μεταξύ

Ασωτίας, Αναισθη-

σίας μέσων; ὅπως μὴ
Τπερβολῆ καὶ ἐκλείψῃ

Ημαρτεν. Εὐτυχεῖν ταῦτα

ζοι φίλατα. Κλίρος πλεῖστον.

Τῷ πατριώτῃ δεξιωτάτῳ
σοσμένως, παρὰ Φύσιν,
συνήδεται

Γαβριὴλ τῷ Γρηγορίῳ
Ἄρκτοπολίτης.